DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ,

ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXXI. MARTII,

M. CLAVDIO QVIQVEBOEVF, Doctore Medico, Præside.

An Ostreum boni succi Alimentum? 999

PARTIBVS corporis omnibus, etiam exanguibus ac spermaticis vnus in alimentum succus à Iecore suppeditatur, sanguis. Is μοχθηρὸς iurè perhibetur si calidior aut frigidior est, si crassior aut tenuior, si salsus, amarus, acidus, si aliâ quapiam peregrinâ qualitate imbutus. Sin temperatus & dulcis humorum quatuor, ex quibus constat, symmetriam naturæ legibus conuenientem seruet, optimus. Ille morborum ferax maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Talem hepar feruidius, aut impensiùs refrigeratum, multò minùs ἄπονον ex cibis quantumuis laudabilibus & euchymis nunquam producet, nec item sanum ex improbis & cacochymis. Ad succi tam psæstantis, tantoque opere ab exinanitis partibus, ἀναισθήτως licet καὶ ἀναλύτως, expetiti generationem est necesse æquo pede vt concurrant cùm efficientis robur, tùm subiectæ materiæ ἐπιτηδειότης, his ferè in duobus obtinendis tota laborat & occupatur Hygiine tam phylactice quàm prophylactice.

CVNCTIS animantibus vnus communis à naturâ paratus est potus aqua. Cibus cuique suus peculiaris, equis fœnum, bobus eruum, leoni crudæ carnes, sturno cicuta, elleborus coturnici, pisciculi piscibus, ostreis rorulentus, quem hiantes capturiunt, humor. Ast homini μικροκόσμῳ vniuersa penè permissa cùm stirpium, tùm animalium familia est. Qui tamen boni succi prouentu sanitati suæ, vitæque diuturnitati vult consultum, ne obuiis quibuslibet indiscriminatim vtatur. mollia præ duris seligat, humentia siccis, leuia grauibus, tenuia crassis, friabilia lentis ac viscidis antehabeat. acida & acerba deuitet non minùs quàm acria & amara. quæ iucundi saporis illecebrâ omnium, nedum heluonum, fauces prolectant, dubio procul εὐπεπτότερά τε καὶ εὐχυμότερα. Talia in quoque genere non pauca reperias; in frugibus triticum; ficus & vuas in fructibus; veruecem, vitulum in quadrupedibus; in auibus capum, phasianum, ficedulam, Truttam percam, rhombum in piscibus; in testaceis ostreum.

RVDIS etsi ostraceæ molis, capite, sensu, motu, sexuque carentis, compages fuerit & structura, ne minùs solertem in eiusmodi fabrica Naturam, at φιλάνθρωπον existimes. Vbi nihil penè est quod non alteri præda sit aut pabulum, illic tutas degere voluit ostreas, ascitaque scabritiei duritie voraciorum piscium, tam grati cibi delicias auidè appetentium, ingluuiei illusit; quò scilicet primis nostris apponerentur mensis, pollucibilium conuiuiorum caput, elegantiorumque dapum tripatinum futuræ. Omne profectò tulit punctum delicatulus ille cibus, admixtum in se habens vtile dulci, perquam grato salubre adnexum. & vt nectareo suo sapore nullius palati repugnat sententiæ, ita ex eius tempestiuo esu ac moderato nemo non vnquam vberes sanitatis percepit fructus.

TESTACEORVM temperiem ex testæ, quæ illis vice cutis est, æstimare noli. singula accuratiùs perscrutare, & medullam sub osse, sub nuce nucleum, duriore sub ostraco latere comperies molle ac sapidum ostrei corpus, hoc habens cum lacte, alimentorum præstantissimo, commune, vt nullum ab arte requirat apparatum, sed quale à naturâ productum est, tale assumptum facilè & coquatur & distribuatur, dulcemque in succum abeat, ὀλιγοτρόφον quidem, ast laudabilem & ἀπερίττωτον. Non eadem mytilorum, hiatularum, buccinorum, & aliorum id genus ὀστρακοδέρμων ratio est, quorum conchæ, læuiores licet, ac prædiuite colorum pigmento variegatæ, σκληροτέραν καὶ δυσπεπτοτέραν includunt carnem, quæ nonnisi elixa edulis est, cùm ostrea, in eo quoque lacti analoga, culinario quouis mangonio deteriora euadant, dotesque suas peculiares exuant λαπακτικὴν καὶ διουρητικήν. Solitaria hæc χωρὶς ἑψήσεως assumuntor, aut aliis saltem cibis præmittuntor.

BENE cum ostreorum amasiis actum foret, si quâ percelebris ille apud satyricum epulo, eâdem & ipsi pollerent palati eruditione. Neutiquam in eorum delectu hallucinarentur. Ostrea callerent primo deprendere morsu littoribus-ne aut ripis eruta, an è medio mari aut fluuio; nauigione an equo aduecta; veterane an recentia sint; hæcque illis merito iure anteferrent, vt & minutiora amplioribus, latioribus spissiora; at præ cæteris bonitatis ac præstantiæ merentur palmam, quæ solido in vado capta, spondylo sunt breui, non carnoso, nec fibris lacinioso, quæ tota in aluo, item ambiente fibras purpureo crine. Eiusmodi structuram nacta vere ac circa æstatis initium plurima reperias, quæ valens ventriculus & auidissimè excipit, & complectitur arctissimè, minimoque negotio in chylum mutat laudatissimum, cuius haud dubiè futurus quàm ocyor per liberiores venarum ductus in hepar appulsus, vnde tandem illic elaboratior chymus exurgat, quàm vt succulentum corporis habitum inani Saginâ mentiatur.

Ergo Ostreum boni succi Alimentum.

Proponebat Lutetiæ IOANNES DE BOVRGES Parisinus, A. R. S. H. M. DC. L.